24ColorCard Camera Tax.com

D. IOANNES C

CLINICES

UNIVERSITAT

PROCA

PANEG

IN A

DIE XX. MENSIS

C

ADVERSARIO

De E

D. IOANNES CHRIST. AUG. CLARUS

CLINICES PROFESSOR PUBL. ORD.

ET

UNIVERSITATIS LITERARUM LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIUS

PANEGYRIN MEDICAM

IN AUDITORIO IURIDICO

DIE XX. MENSIS NOVEMBRIS A. H. S. MDCCCXLI.

CELEBRANDAM

INDICIT.

ADVERSARIORUM CLINICORUM. Part. VI.

De Enterohelcosi. Spec. IV.

Medico, in enterohelcoseos stadiorumque eius curatione, praestanda sunt haec: primum, ut legitimam crisin, qualicunque perturbatione interceptam, restituat; deinde ut partibus intestinorum, per crisin anomalam affectis, prospiciat; postremum, ut vasorum et nervorum tumultum, e fomite morboso in sanguine retento exortum, componat. Primum illud redit ad id, quod supra (Part. I. p. 6. 7. 10 sq.) de removendis criseos impedimentis traditum est; tertium infra pertractabitur in consideranda status nervosi natura. Quare hic ea tantum attingam, quae proprie et simpliciter spectant ad membranarum et glandularum intestinalium officium et integritatem per criseos anomaliam vario modo alteratam; rationem vero et modum, quo simul sanguinis etiam depravationi et incommodis inde nascentibus cauta et provida methodi medendi combinatione et variatione succurrendum sit, nova scribendi occasione mihi oblata, explanabo.

Enterohelcosis tria quidem percurrit stadia: epichrosin, exormiam s. exanthesin internam et exulcerationem ipsam, quorum ultimum reliquorum exitus est atque finis. Neque tamen haec periodorum successio semper aequabilis et synchronica est per omnem intestinorum tractum hoc malo correptum, sed in aliis illius locis incrementum eius plerumque praecurrit, in aliis retardatur. Quemadmodum enim in variolis malignis pustulae saepe iam confluunt, aut in foedam escharam transeunt, dum in pedibus nunc demum apparent stigmata nova; pari modo in eodem cadavere haud raro mixta et coniuncta occurrunt stadia illa enterohelcoseos omnia, hac tamen lege et conditione, ut exulcerationis tempus plerumque prius appareat circa valvulam coli, quam

in locis superioribus. Quae quum ita sint, stadiorum diversitas neque signis diagnosticis certis distingui, neque certas indicationes praebere potest. Sed communis est omnibus irritatio et secretio morbosa, cum propensione ad gangraenam. Igitur ars medici omnis versatur in eo, ut irritationem leniat, secretionem iniquam corrigat et comprimat, gangraenam prohibeat. Irritationis vero praesentia et modus cognoscitur e linguae siccitate et rubore insolito, cum dolore plus minusve acuto in abdomine, imprimis in regione ileocoecali; secretio maligna e diarrhoea symptomatica; propensio ad gangraenam ex meteorismo et prodromis paralyseos.

De linguae rubore et siccitate gradatim aucta eiusque causa, tempore et significatione supra dictum est (Part. I. p. 3 sqq.). — Dolor primum occupare solet regionem iliacam dextram et plerumque parum acutus est, ita quidem ut de eo vix conquerantur aegri, imprimis qui iam sensuum obnubilatione et stupore tenentur, sed contactu tamen et percussione, quae nunquam negligenda est simulac linguae conditio et reliqua signa supra commemorata turbatae criseos indicant initium, facile cognoscitur. Atque in hac re quam maxime interest aegri, ut medicus obsistat mali principio. Quo prius enim erethismi primordia cognoscuntur et exstinguuntur, eo minus verendum est, ne maior sensim intestinorum tractus in mali societatem veniat et ne, exacto iam irritationis tempore in locis primum affectis, stadia opposita misceantur, ita ut, quod alteri necessarium fuerit, alteri noceat. Ad moderandam vero et sistendam hanc irritationem insidiosam, in membranis et glandulis intestinorum gliscentem, remediis opus est tam externis quam internis, irritationis gradui prudenter accommodandis, e quibus illa praesentissimam remissionem subministrant, haec vero priorum efficaciam augent et confirmant. Externis adnumeranda sunt: cataplasmata, fomentationes et inunctiones emollientes et anodynae, sanguinis missio localis et rubefacientia; internis vero: mucilaginosa, oleosa, Calomel et quodammodo etiam Aqua Laurocerasi, Hyoscyamus et Opium. De quibus singulis, quum in animo mihi non sit quae-

stionem hanc omnem exhaurire, vel trita et satis iam cognita recoquere, pauca hic tantum, quae generatim ad usum et efficaciam horum remediorum spectant, breviter commemorabo.

Statum, in quo sub hac rerum conditione versantur partes intestinorum per crisin translatam afflictae, *irritationem* dixi, vel *erethismum*, quo verbo nihil aliud intelligo, quam reactionem auctam atque insolitam, illi similem, quae exanthematum cutaneorum eruptionem praegreditur et quae desinit in actione biochemica, i. e. vel in materiae alicuius secretione, vel in structurae ipsius mutatione, vel in nova eiusdem conformatione. Huius vero reactionis modi admodum varii sunt, neque negari omnino potest, summum illius gradum, quoad vim et efficaciam suam, cum eo convenire, quod vulgo dicitur phlogosis aut inflammatio. Neque tamen probanda mihi videtur eorum opinio, qui in hac re omni nihil aliud vident, quam inflammationem, hirudinibus aut scarificatione compescendam, propterea quod haec ratio uni tantum parti inhaeret et ad graves et noxias in ipsa curatione errores facile perducit. In ipsa enim reactionis natura, sive ad inflammationem illa pervenerit, sive ad inferiorem gradum substiterit, distinguenda sunt duo elementa, s. factores, quorum alter positus est in vasis, alter in nervis. Vasa enim fortius, quam in statu sano, turgescunt et propterea sanguinis copiam solito maiorem assumunt, nervi vero stimulos acrius percipiunt. Illud plethoram localem (s. congestionem aut polyaemiam) hoc hyperaesthesiam dicere licebit. Ad hanc vero in elementis vitalibus, sive in vasorum nervorumque mutua actione, turbatam proportionem mali naturam et gradum et curationem referri, necessarium est. Igitur, ad restituendam aequitatem, utrique factori huius proportionis prospiciendum est: plethorae per methodum antiphlogisticam, hyperaesthesiae per consopientem. Atque, quum, pro constitutione corporis ipsiusque morbi conditione diversa, modo hoc, modo illud horum elementorum praevaleat; curatio quoque vel prioris magis vel alterius methodi administrationem, vel utramque, apta successione aut vicissitudine, requirit.

Accedit ad haec alia haud minoris momenti observatio. Saepius enim a me monitum iam est, in febris biliosae anomalia, quam typhum abdominalem vocare consuevimus, duos distinguendos esse symptomatum ordines, qui ex legitimae criseos perturbatione, tanquam e fonte communi, diversis prodeunt itineribus et quorum alter criseos *translatae*, alter criseos *retentae*, s. sanguinis depravati, vim et effectum complectitur. Illi ordines cogitatione quidem separandi sunt, ut ex hac analysi morbi elementa distinctius intelligantur, re ipsa vero, quoniam in eodem coniuncti sunt corpore, mutuam inter se habent necessitudinem, ita ut alter in alterius naturam atque decursum vim singularem exerceat. Atque hoc potissimum valet de symptomatum ordine eo, qui desinit in enterohelcosi, quippe cuius propensio ad *inflammationem* per synchronicam sanguinis depravationem ita coërcetur, ut vis irritationis appareat imminuta, aucta simul propensione ad *gangraenam*.

Medendi ratio, hisce principiis accommodata, haec est. Irritationis in tractu intestinorum gliscentis primordia, iusto tempore perspecta, nonnunquam feliciter et satis cito delentur calore artificiali, cataplasmatum aut fomentationum ope adhibito, quorum efficacia haec est, ut spasmus, qui primum cuiusque stimuli violenti impetum comitari solet, solvatur partiumque structura et fabrica omnisque relaxetur, ita ut vasa capillaria sanguini irruenti minus resistant, eorumque tensio et reactio imminuatur. Huic proposito optime respondent cataplasmata oleosa, farinacea, mucilaginosa et narcotica, v. c. e farina Seminum Lini cum herba Hyoscyami vel capitibus papaveris albi, quorum usus ad restituendam crisin principalem, spasmo interceptam, supra iam demonstratus est. Duplex igitur in hoc statu praebent beneficium, quod aegris ipsis tam gratum et fructuosum esse solet, ut pondus, abdomini impositum, non solum lubenter ferant, sed iterari etiam illud ipsi saepe cupiant. Interponendae sunt, eodem consilio, inunctiones ex oleo Amygdalarum calido aut provinciali calido cum oleo Hyoscyami cocto; noctu vero cataplasmatis, ne refrigescant in somno aut

custodum incuria, substituere iuvat pannum laneum siccum, complicatum. — Interno usui inservinnt remedia antispasmodica mitiora cum oleosis aut mucilaginosis coniuncta, v. c. oleum Amygdalarum dulcium, cum gummi Mimosae et infuso radicis Ipecacuanhae in formam emulsionis redactum.

Quodsi vero magis iam invaluerit, aut latius extensa fuerit irritatio ususque demulcentium post aliquot horas nihil profuerit ad leniendum dolorem et ad coërcendum febris incrementum, sine omni mora ad sanguinis missionem localem, per hirudines aut cucurbitas cruentas, properandum est. Cucurbitae, ubicunque conditio loci earum administrationem concedit, praeferendae sunt hirudinibus, quoniam usus earum magis certus et expeditus simulque minus pretiosus est. Obiiciunt quidem chirurgi, ex abdominis integumentis, imprimis in corporibus macilentis aut nimis obesis, minorem plerumque sanguinis copiam per scarificationem elici quam ex aliis corporis partibus, quibus crassiores musculi substrati sunt. Augeri tamen potest sanguinis profluvium per cucurbitas siccas et cataplasmata, ante operationem et post eam imposita. Quatuor hirudines pares effectu habentur uni cucurbitae cruentae. In sanguinis extrahendi quantitate et repetitionis necessitate aestimanda aetatis, constitutionis, violentiae morbi et maioris vel minoris levaminis ratio habeatur. Post sanguinis missionem pergendum est in usu cataplasmatum emollientium, inunctionibus vero addi nunc potest unguentum cinereum, ad quartam circiter vel tertiam vehiculi partem. Ad planitiem intestinorum internam demulcendam eamque contra erosionem per secretos humores acriores defendendam nihil aptius est, quam emulsionis oleosae vel decocti mucilaginosi cum infuso Ipecacuanhae usus continuatus, interpositis, ad arcendum vel mitigandum erethismum fortiorem, parvis Hydrargyri muriatici mitis, vel solutionis Plenkianae, dosibus, quibus etiam addere nunc licet pauxillum extracti Hyoscyami, vel Opii, nisi praevaleant iam stupor vel deliria. Hydrargyri efficacia ad phlogisticam sanguinis diathesin delendam et ad vasorum reactionem moderandam notissima est. Opii

virtus haec esse videtur, quod alteri irritationis elemento, in nervis recondito, resistat. Exemplum proponunt ophthalmia catarrhalis et rheumatica, in quibus, praemissa sanguinis missione locali, insignem illud, ad photophobiam ac dolorem tollendum, praestat utilitatem. Mercurii autem cum Opio coniunctio, in chronicis pariter atque in acutis imi ventris inflammationibus sanandis, inde a Hamiltoni temporibus, ab omnibus fere omnium scholarum observatoribus celebrata est. Medicus tamen in consilio hoc utatur idoneo tempore ac modo, ita quidem ut remedium adhibeatur praevia sanguinis missione sufficiente et priusquam invalescant symptomata cephalica s. nervosa, quae narcoticorum vetant usum, et ut dosis Hydrargyri muriatici mitis dimidiam, Opii vero sextam grani partem, ter quaterve quotidie sumendam, non excedat. Opio commode substitui potest Morphium acceticum ad grani partem duodecimam, propter minorem eius vim narcoticam.

Diarrhoea seroso-biliosa, sub hac rerum conditione plerumque oborta, symptoma symptomatis est, s. irritationis secretionisque translatae effectus et propterea vim quidem ad morbum principalem solvendum non habet immediatam, sed vicario tamen criseos munere fungitur et propterea non temere coërcenda est, ne irritatio localis augeatur. Igitur in causae, i. e. in irritationis curatione per demulcentia et consopientia pergendum neque ad amara et adstringentia progrediendum est, nisi prius deleta fuerint tam erethismi quam stuporis vestigia et febris ipsa deferbuerit. Nunc demum uti licet extractis amaricantibus, decocto radicis Columbo aliisque huius generis remediis, quae, ad restituendum partium affectarum tonum et ad resuscitandam actionem vitalem, commode iungi possunt cum aromaticis et spiritnosis.

Propensionis ad gangraenam primum indicium esse solet meteorismus, a fluidorum aëriforminm in intestinis generatione oriundus, qui primum ex inflatione et sono tympanitico in regione ileocoecali, digito impulsa, cognoscitur et sensim reliquis etiam abdominis locis communicatur. Accedit excrementorum foetor cadaverosus et color

aut cruentus aut ex fusco nigricans, cum doloris remissione et signorum, quae imminutam principii vitalis et imprimis plasticae virtutis in universo corpore potestatem indicant, incremento. Ad haec referendus est pallor et collapsus et frigus integumentorum communium, color eorum luridus, aut sordidus, aut ex flavo viridescens, petechiarum eruptio, sanguinis ex ostiis compluribus profluvium, gangraena sacralis, s. paratrimma, quod barbare decubitus vulgo dicitur. De quibus signis, quum alio loco diductius mihi agendum sit, quippe quae maxima naturae suae parte ad alterum symptomatum ordinem, e sanguinis depravatione oriundum, pertinent; hic ea tantum attingam, quae propius attinent ad malum intestinorum topicum eiusque exitum et curationem. Exitus autem quatuor sunt viae, quarum duae ferunt ad salutem, totidem ad mortem. Res enim vel subsistit in sola propensione ad gangraenam et in superficiali partium exulceratione desinit, vel partes tunicae mucosae et submucosae in gangraenam quidem abeunt, sed iuvante actione vitali, in locis adiacentibus et subiectis residua, separantur et cum excrementis eiiciuntur. In utroque casu reditus ad sanitatem per cicatrisationem, cuius vestigia nonnunquam reperimus, sperari potest. Ab altera parte vero, si gangraena non consistit, vel perforantur intestina eorumque contenta in abdominis cavum effunduntur et peritonitis acutissima, aut mors repentina, subsequitur, vel aegrotus, prinsquam corruptae membranae ad ruptionem perveniunt, virium prostrationi generali et paralysi partium nobiliorum succumbit. Quae quum ita sint, ars medendi omnis his duabus indicationibus comprehenditur: ut nervorum actio depressa erigatur et ut corrigatur sanguinis depravatio. Priori indicationi respondent: Flores Arnicae, Rad. Valerianae, Calami arom. Imperatoriae, Angelicae, Serpentariae, Camphora, Moschus, Aether, Vinum etc., alteri: aqua frigida, acetum, acidum sulphuricum et Chlorum. Virtutem singulis propriam eorumque usum, e cognitione generali status typhosi intelligendum et rerum conditioni accommodandum, suo quidque loco, ex meis observationibus illustrare et ad praecepta certiora

revocare studebo. Quod vero attinet ad curationem localem, hoc unum praemittam, quod lotiones totius corporis ex aceto cum spiritu vini et cataplasmata aromotica cum aceto parata abdominique imposita, nec non clysmata quoque cum aceto mixta, multum saepe contribuant ad illorum remediorum efficaciam generalem adiuvandam et confirmandam.

Scripta haec sunt ad indicendam inaugurationem duorum Candidatorum, quorum alter summos Ordinis Nostri honores consecutus est d. XIX. Octobris h. a., alter eorum capessendorum veniam propediem impetrabit.

FRIDERICUS GUILIELMUS JAHN

PEGAVIENSIS

MEDICINAE BACCALAUREUS

vitae suae studiorumque rationem his verbis exposuit:

Natus sum Pegaviae, anno MDCCCXV, patre IOANNE ANDREA, *tornatore, cuius singularem, quo me semper amplexus est, amorem non possum non alta voce celebrare, eique vitam longissimam felicissimamque ex intimo pectore apprecari, et matre* DOROTHEA HENRIETTA *e gente* GEISSLERIANA, *quam praematura morte ante quinque menses mihi ereptam lugeo.*

Primam, qua puerilis aetas erudiri solet, institutionem accepi in civitatis nostrae schola publica, Ampl. MUENTZLAFFIO *moderatore florente, cuius viri summe de me meriti cura tam fuit praeclara in me educando et instituendo, ut eius memoriam ad cineres usque pio animo recolam necesse sit. Anno h. s. XXXIII.*

a beat. Rostio scholae Thomanae adscriptus ibique in classem secundam receptus, per tres et quod excurrit annos usus sum diciplina virorum excellentissimorum atque amplissimorum: Exc. Stallbaumii, nunc Rectoris huius gymnasii clarisimi, cuius insignem, qua me semper ornavit, liberalitatem ac humanitatem, verbis exprimere nequeo; Iahnii, Hohlfeldii, Lipsii, Dietterichii et Guentheri, quorum praeceptorum innumera erga me merita gratissimo semper animo conservabo.

Mense April. anni huius saeculi trigesimi sexti inter civium academicorum numerum Ill. Guentherо, tunc temporis Rectore Magnifico, receptus, praeceptores habui in rebus mineralogicis, botanicis et zoologicis Exc. Schwaegrichenum et Poeppigium, in physicis Exc. Fechnerum, in chemicis tam theoreticis quam practicis Exc. Kuehnium iun. et Exp. Lehmannum, in anthropologia Ill. Heinrothum. Anatomiam tam generalem quam specialem et artem cadavera dissecandi me docuerunt Exc. Weberus sen. et iun. Physiologiam et embryologiam debeo Excell. Webero sen.

Praeterea mihi duces fuerunt: in pathologia generali Exc. Neubertus, in speciali Exc. Cerutti, in materia medica Exc. Radius, in arte obstetricia Ill. Ioergius, in ophthalmiatria Exc. Kneschkius, in medicina forensi Exc. Wendlerus, in anatomia pathologica Exc. Hassius et in arte fascias alligandi Exc. Carus. De arte chirurgica et operationibus chirurgicis instituendis beat. Kuhlium et de arte percutiendi et auscultandi, nec non de exanthematibus chronicis Ill. Clarum disserentem audivi.

Denique instituta publica aegrotantium curae destinata frequentavi, et quidem medicum internum et chirurgicum sub au-

spiciis Ill. Clari, Exc. Wendlei et beat. Kuhlii, obstetricium duce Ill. Ioergio, institutum policlinicum internum et externum ducibus Exc. Cerutti et Braunio, Exc. Walthero et Caro. Institutum ophthalmiatricum adii Exc. Ritterichio moderatore.

Omnibus his viris, quorum permagnae humanitatis erga me memoriam nunquam abiiciam, gratias ago quas possum maxumas.

Examen theoreticum mens. Septbr. anni h. s. XXXIX, practicum vero mens. Martio a. c. superavi.

In utroque colloquio, quum ita probatus esset, ut satis idoneam ei doctrinam testaremur, d. XIX. Octobr. h. a. ut legibus et institutis Academiae nostrae obtemperaret, publice defendit libellum a se conscriptum, cuius index est: „*de Dysenteria.*“ Quo eodem die Medicinae et Chirurgiae Doctor creatus est et publice declaratus.

CAROLUS OSCAR STEINHAEUSER

GEILSDORFIO-VARISCUS

MEDICINAE BACCALAUREUS

qui de vitae suae cursu scripsit hoc modo:

Natus sum Geilsdorfii, pago prope Plaviam sito, die XXI. mensis Maii a. MDCCCXVI. patre Ioanne Carolo Ludovico Steinhaeusero, verbi divini ministro, cuius praematuram lugeo mortem, et matre Amalia Regina e gente Rennebaumiana, quam deus O. M. diu mihi conservet incolumem. Primis litera-

rum elementis acceptis a patre et ab avunculo carissimo, qui post mortem patris in domum suam me recepit, innumeraque in me cumulavit beneficia, anno h. s. XXIX. inter illustris apud Grimam Moldani alumnos receptus sum. Ibi per sex annos integros luces habui viros doctissimos atque amplissimos, WEICHERTUM, regii Moldani rectorem gravissimum, b. HARTMANNUM, WITZSCHELIUM, WUNDERUM, FRITZSCHIUM, FLEISCHERUM, b. KORNIUM, LORENZIUM, PETERSENIUM et KUEHNIUM, quorum quum in edocendis literis de me merita, tum verae humanitatis exempla nunquam ex memoria delebuntur. Mense Octobre anni h. s. trigesimi quinti Lipsiae inter civium academicorum numerum receptus sum ab Exc. WACHSMUTHIO, t. t. Rectore Magnifico. Praeceptores ibi habui in Philosophia Exc. DROBISCHIUM, in Botanice et Mineralogia Exc. SCHWAEGRICHENIUM, in Zoologia Exc. POEPPIGIUM, in Physice Exc. FECHNERUM, in Chemia Exc. KUEHNIUM, in Anatomia et Physiologia Exc. WEBERUM, in arte cadavera dissecandi eundem cum Exp. ASSMANNO et WEBERO fratre, in Anatomia comparata Exp. ASSMANNUM, in Anatomia pathologica Exp. HASSIUM, in Anthropologia Ill. HEINROTHUM, in Materia medica Exc. RADIUM. Pathologiam ac Therapiam specialem me docuerunt Exc. CERUTTIUS et BRAUNIUS, Chirurgiam b. KUHLIUS et Exp. CARUS, artem obstetriciam Ill. IOERDIUS. Praeterea Exc. WENDLERUM de medecina forensi, Ill. HEINROTHUM de Psychiatria, Ill. CLARUM de Exanthematis chronicis, Exp. HASSIUM de Auscultatione et Percussione dissecentes audivi. Ita ad studia practica praeparatus institutum clinicum regium ducibus Ill. CLARO, Exc. WENDLERO et b. KUHLIO in nosodochio Divi Iacobi adii, demonstrationibus clinicis in nosodochio ad aedem Divi Georgii ab Exc. RADIO habitis inter-

fui, instituta policlinica: medicum Exc. CERUTTIO *et* BRAUNIO, *chirurgicum Exp.* CARO *et Exc.* WALTHERO *ducibus, nec non scholum obstetriciam, cui Ill.* IOERGIUS *est praefectus, et institutum ophthalmiatricum sub Exp.* RITTERICHII *auspiciis frequentavi. Omnibus his viris, quorum permagnae humanitatis erga me memoriam nunquam abiiciam, gratias ago quas possum plurimas.*

Ceterum contigit mihi esse tam felici, ut mense Aprili anni praeteriti munus medici adiutoris in schola Regia clinica ad Nosodochium D. Iacobi mihi demandaretur. In quo munere administrando me non solum ad artem et ingenium ipso actu et negotio excolendum uberrimam invenisse occasionem, sed etiam eximia eorum, qui moderantur hunc scholam, benevolentia ornatum esse, gratissimo profiteor animo eundemque animum omnibus, qui sive institutione ac disciplina sive liberalitate et benignitate de me meruerunt, significo ac declaro.

Examen pro Baccalaureatu die XXVIII. mensis Martii anni h. s. XXXVIII., rigorosum vero die III. mensis Iulii huius anni superavi.

Candidato, per haec legitima specimina tentato omniumque suffragatione et laude comprobato et ornato, nihil iam superfuit ad consequenda Doctoris Medicinae iura et privilegia, nisi ut elaboratam a se propriisque observationibus illustratam dissertationem: *De sensibilitate et functionibus intestinorum ampliorum*, publice defenderet. Quod, si factum fuerit d. XX. Novembris hora locoque consuetis, ego, Cancellarii auctoritate vicaria, potestatem ei, summas in arte Nostra honores capessendi, solemni ritu impertiar,

praemissa *morbi, qui observationibus Candidati occasionem praebuit*, brevi narratione. VOS igitur, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PROCERES ILLUSTRES PATRONI et FAUTORES GRAVISSIMI, COMMILITONES denique HUMANISSIMI et CARISSIMI, ut hanc auditionem praesentia Vestra ornare non dedignemini, omni, qua par est, pietate et observantia oro rogoque.

P. P. Dom. XXIII. p. Fest. Trin. MDCCCXLI.

LIPSIAE,
TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACADEM.